Kriepij

Opuscula in his miscellaneis sub Wro contenta sunt 33.

1. Oratio de coronatione B.V.M. in claro monte dedicata Christoph. Szembek Eppo Chelm. sinkt.
2. Immaculatum Virginis Deiparæ lilietum, a Joa. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Biezanowski utroque oculis seu visu orbato elaboratum et dispositum. Crac. 1675.
3. Inaccessa Sanctissimæ Virginis Montana ꝑ Thom. Grommicki ex voto. Oratio. Crac. 1667.
4. Majestas sacræ claromontanæ Imaginis ꝑ Dionys. Chełstowski OS.Paul. Claromonti 1717. Orat.
5. Oraculum parthenium Virg. Deiparæ honori a Jo. Bapt. Agnensi et Stan. Jos. Biezanowski Crac. 1668. simil. ut n° 2.
6. Sacratissima Virginis Dei Matris Reg. Pol. majestas a Seb. Piskorski vener. dem. Crac.
7. Theatrum Marianum.. in nemore Strzyscensi a Joan. Bytomski productum Crac. 1642.
8. Kazanie przy tuszym solenn. Dziękczynieniu za Dekret Kanoniz. Bł. Stan. Kostki przez Stefana Szczanieckiego S.J. r. 1715. 3. Lut. miane. Krakow.
9. Kazanie Jana Chryz. Benedykta Gmińskiego na Ur. B. Stan. Kostk. 1687 miane. w Krak.
10. Korona z pochwał dwóch uwita ꝑ X. Ant. Lipiewicza O.M. Krak. 1748. S. Jan Nep. i Ant. Padew.
11. Laska i pieczęć nadworna Niebieska. czyli Kazanie na S. Jan. Krzciel. i Jan. Nep. ꝑ X. Fortunata Łosiewskiego+ w Krak. 1732. + Franciszkana.
12. Malogranat albo Kazanie przy exekwiach Panny Xięzn. Ostrogskiey ꝑ Woyc. Czarnock. S.J. Krak 1636
13. Promocya Kanonizacyi S. Jana Kant. czyli Kazanie ꝑ X. Fortun. Łosiewsk. Krak. 1732
14. Syn przyrastaiący S. Józef. czyli nań Kazanie ꝑ X. Marcelli Dziewulsk. Franc. Krak. 1725.
15. Acumen doloris ex obitu Stan. Szembek. Eppi Crac. ꝑ Mathæum Jos. Kołędowicz Crac. 1721.
16. Ad mentem Patriæ caput. Stan. Leszczynski in fastos gloriæ relatu a Coll. Posn. S.J. relat. Posn. 1699.
17. Clavis aurea fracta seu in obit. Melch. Michałowski, Joa. Stan. Dzidowski poesis Crac. 1687.
18. Classica mortis feralia Jos. Greg. Popiolek ab academ. excitata. Crac. 1758.
19. Dissertationes sup. rubricas de sepulturis et sumptib. funeb. ꝑ Andr. Lipiewicz propos. Crac. 1751.
20. Dolorum oneraria navis in funere Stan. Luc. Opaleński ꝑ Seb. Tortowski. Crac. 1712. Orat.
21. Dolor Patriæ æternus in funere Constantini Feliciani Szaniawski Eppi Crac. a Congr. S.P. Crac. 1732. elogia.
Encomium ad solemnes exequias
In obitum Seren.mi Principis } deficiunt.
Iactura orbis Literarii transmissa
22. Xiężyc JW Lilijey w Jakubie Morsztynie adumbrowany od Koll. Krak S.J. 1729. Xiężyc
23. Fatalis lunæ pallor ad urnam Jac. Morsztyn a Coll. S.J. Crac. 1729 adumbratus Orat. et Carmen.
24. Memoria sæculor. in obitu Aug. II ꝑ Ign. Cant. Herka. 1734. panegyris
25. Monumentum doloris Mariæ Josephæ Reg. Pol. in obitu Versu lat. et pol. ꝑ Stan. Rzewuski Crac. 1758.
26. Medela doloris in obitu Franc. Ant. Stokowski porrecta ꝑ Joan. Byszkowski Crac. 1672 Orat.
27. Monumentum aureæ pennæ exaratum.. in ob. Alb. Korycinski Arch. Epp. Leop. ꝑ St. Jos. Biezanowski Crac. 1677. orat.
28. Murus et dolor sæculor. Stan. Dębski Epp. Crac. comploratus a Collegiis S.J. Crac. 1700.
29. Parasceve in obitu Joann. Lukini ꝑ Ant. Jos. Zołędziowsk. descripta Crac 1750. Poesis.
30. Splendor Korybuthei Syderis in funere Mich. Reg. Pol. a Mathia Brocki carmine Consecratus Crac. 1676.
31. Tropheum z pańskiego urodzenia, na pogrzebie Stan. Chomętowsk. ꝑ X. Brun. Osieck. Z.S.P. Capt. 1729. Kazanie
32. Tropheum ex immatura morte Helenæ Opalinia in Eccl. Rythw. a Carolo Trevani paneg. consecr. Crac. 1676.
33. Viva mors seu morti superstes virtus et Gloria in exequiis Georg. Duc. a Zbaraż a Nic. Grodzienski Crac. 1631. elogia.
34. Authores in his Miscellaneis præter Anonymum sunt 24.

Anonymus	1, 16, 18. 21. 22 23. 28.	Gminski Jan Chryz. Benedykt	9.	Tortowski Sebastianus	20
Agnensis Joan. Bapt.	2, 5.	Grodzienski Nicol.	33.	Trevani Carolus	32
Biezanowski Stan. Jos.	2, 5, 27.	Herka Jgnat. Cant.	24.	Zołędziowski Ant. Jos.	29.
Brocki Mathias	30.	Kołędowicz Mathæus Jos.	15		
Byszkowski Joann.	26.	Lipiewicz Andreas	19.		
Bytomski Joann.	7.	& X. Antoni O.M.	10		
Chełstowski Dyonysius O.S.Paul.	4.	Łosiewicz X. Fortunat Z.S.Fr.	11.13.		
Czarnocki Woyciech S.J.	12.	Osiecki X. Bruno Z.S.Pawł.	31		
Dzidowski Joan. Stan.	17	Piskorski Sebastianus / Grommicki Thomas	6 / 3.		
Dziewulski X. Marcell. Z.S.Fr.	14.	Rzewuski Stanislaus	25.		
		Szczaniecki X. Stefan S.J.	8.		

PARASCEVE
in Obitu
PERILLUSTRIS olim & REVERENDISSIMI
D O M I N I,
D. M. JOANNIS
LUKINI,
Utriusq; Juris DOCTORIS & PROFESSORIS, Collegii Juridici & Universitatis Crac: SENIORIS PATRIS, Ecclesiarum; Cathedralis CANONICI, Collegiatarum; Sanctorum Omnium Crac: CANCELLARII, Visliciensis PRIMICERII, Parochialis in Slawkow PRÆPOSITI, Contubernii Regio-Jageloniani PROVISORIS,
Ecclesiæ & Academiæ
LUCTUOSA.
Dum in Ecclesia B. MARIÆ Virginis Archi-Presbyterali,
Avitô suorum Majorum Sepulchrô,
non sine magno omnium dolore tumularetur;
Per
M. ANTONIUM JOSEPHUM
ZOŁĘDZIOWSKI,
Philosophiæ DOCTOREM, ejusdemq; Regium PROFESSOREM, Collegam Majorem, Ecclesiarum Cathedralis CONCIONATOREM Garvascianũ, Collegiatæ S. ANNÆ CANONICVM, Parochialis in Krzęcin CVRATVM,
lugubri calamô
DESCRIPTA.
Annô Domini 1750. Die Veneris 3tia Aprilis.

CRACOVIÆ, Typîs Collegii Majoris Academ:

IN plaga mortis hujus Viri qui erat suâ sapientiâ eruditor, suâ potentiâ defensor, suâ prudentiâ director deviatorum, suâ justitiâ corrector vitiorum, suâ gratiâ & benevolentiâ concordator inimicorum, verè Ecclesia percussa est plagâ magna, & idcirco plangendi habet materiam. Ioannes de S. Genimiano super 1. Reg: 6. ℣. 19.

Mors alicujus boni Viri & literati est magis flebilis & lamentabilis, quàm sit mors hominum indoctorum & idiotarum. Et ratio est, quia doctorum & literatorum præsentia & servitium videtur esse magis necessaria & utilis non solùm singularibus personis, sed etiam Communitati, & saluti Reipublicæ. Nam sicut est necessaria terræ influentia Cæli & Stellarum, ita videtur esse necessaria Reip: sapientia & consilium & ministerium doctorum & literatorum Virorum. Idem super Dan: 12. qui docti fuerint, fulgebunt.

Quando aliquis multum sapiens & literatus moritur, videtur esse materia tristitiæ & lamenti toti Communitati seu Civitati, quia sapientes sunt in Communitate sicut oculus in corpore, quia consilio & sapientiâ suâ dirigunt omnes alios. Quia igitur iste fuit sapiens & literatus & legista, & Magnus Doctor Juris, potest ipsi merito adaptari lamentum, Isaiæ 33. ubi est literatus? ubi verba legis ponderans? ubi est Doctor parvulorum? *Idem. super Caput Isaiæ 33. ℣ 18.*

PArasceve est vita hominum
ad Pascha,
idest præparatio ad transitum,
vivimus ut moriamur,
navigamus ut transfretemus,
certamus ut vincamus,
currimus ut terminum attingamus.

Gaudent super eo Cæli,
exultant, cum nos exules in Patriam recipiunt,
jubilant, cum post bella milites coronant,
gestiunt, cum in portu certo Nautas conspiciunt,
lætantur, cum Athletas ad bravium admittunt.
Sicq; applaudunt;
ut aquis Mare,
dum invicem conveniunt,
ut ignibus æther,
cum superam Regionem attingunt,
ut deplui roris guttis concha,
cum in gemmam concrescunt,

ut Solaribus radiis cryſtallus,
cum ſe in ea adunant.
Terra tamen & hominum genus,
præcipuè cum Virorum Magni occumbunt,
ſuper ejusmodi Paraſceve & Paſchate,
tantùm dolet;
quantùm, dum Cæli Luminaria deliquium patiuntur,
Sidera occidunt,
Sol in alium Horizontem migrat.
Multùm enim illuſtres animæ cum Sole communicant;
ille Siderum Princeps, hæ hominum,
ille purior Siderum gemma, hæ ſublunaris Mundi pretiū,
ille mundi oculus, hæ orbis pupilla,
Sole occidente Cælum ſerotino rore lachrymatur,
terra pullos amictus induit,
& quidquid ſub Lunæ concavo eſt, dolore tabeſcit.
In Magnorum Virorum obitu,
exerunt lachrymas, quibus aqueus humor in oculis,
dolent quæcunq; ſenſu potiuntur.
Patiūtur quotquot in Corpore cujuſpiā Reip. membra
cruciantur quotquot in membris artus,
coarctantur quotquot in artubus nervi ſunt.
Planxit obitum Moyſis & Aaron triginta diebus Iſrael,
fletu magno flevit abitum Pauli Miletum
Pericles erepto è vivis filiô ejulavit,
Numerianus cæſo Carolo Imperatore Parente,
fletū oculos corrupit.
Par nobis dolendi occurrit occaſio,
Poſtquam

Per-

Perillustris olim & Reverendissimus Dominus,

D. M. JOANNES LUKINI,

Vtriusq; Juris
Doctor & Professor, &c.
occubuit cum Ecclesiæ jactura,
decessit cum Academiæ dispendio,
Cognatorũ & Agnatorũ nõ sine grãdi vulnere tumulatur.
Flet Diva Themys Mystam,
Cathedra Crac: Doctorem,
Universitas Patrem,
Ecclesia extinctam in Candelabro suo lucernam, plorat
Extorquet ab omnibus lachrymas defunctus,
qui de omnibus bene merebatur vivus,
& singultus evincit à singulis,
qui in vita singulis JOANNES fuit gratiosus.
Crescunt ad magnitudinem Nominis ejus dolores,
ad mensuram meritorum lachrymæ,
& ad plenitudinem dierum planctus.
Quanquam
vitæ ejus dies plangendi non sunt,
quos in docto labore exegit
virtute perfectos fecit,

fine optimo consummavit.
Nullum sine erudito opere transmisit,
ut sine linea Apelles,
sine virtute, ut sine liberalitate Titus,
sine passu ad gloriam, ut Alexander Magnus vel Julius.
Neq; pueritiam excipias;
in qua
Corpus ei pro naturæ exigentia erat parvū, non animus,
imbecillis ætas, non indoles,
prævenit annorum maturitatem virtute,
& ea egit juvenis, quæ frustra à senib' expectes
Romanorū enim Lukiniorū sive Luciniorū & Pestalorū
sangvine ortus,
nihil etiam in vitæ aurora agere potuit non illustre,
nec in flore ætatis voluit, Pæstô non dignum.
Phœbo Scholastico adhæsit junior,
ut eruditionis luce generis geminasset claritatem,
Laureis Philosophicis Caput submisit,
ut triplici Coronæ prælusisset.
Mereri tamē illā prius, quam possidere maluit,
ideò
multos eosq; magnos meritorum passus præmisit,
antequam pedem movit in Vavellum.
Astræam in merendi campo ducem sibi adscivit,
cæcum quidem Numen,
sed quod tandem ipse fecit oculatum.
Ita enim in Juris scientia profecit,

ut

ut etiam Justitiæ oculos aperiret.
Scivit Jus utrumq; acsi invenisset primus,
& invenire potuit, si inventum prius non fuisset.
Scivit illustrare unum altero,
emendare utrumq, ubi fallunt,
supplere ubi deficiunt,
interpretari ubi sunt obscura,
conciliare ubi contraria,
enucleare ubi abstrusa,
explanare ubi ardua,
explicare ubi nodosa,
facilitare ubi perplexa.
Principibus Viris inde placuit,
ab ALBRACTHO DONHOFF, Episcopo Cracov:
in partem solicitudinis Pastoralis expetitus,
& ad majoris momenti negotia applicatus.
CASIMIRVS ŁVBIENSKI,
Sede Vacante Episcopatûs Cracov: Administrator,
Illius ministeriô Abbatiam Czervenensẽ adiit,
Bullas pro Episcopatu Cracoviẽsi exportavit,
& plena sede Diœcesim rexit.
Cum vero Academiam Posnaniensẽ regeret,
BARTHOLOMÆVS TARŁO,
Episcopus Posnaniensis,
Polonus ille contra Hæreseos monstra Hercules,
eô pro Clava & instrumento usus,
septicipem heterodoxorum Hydrã & terruit, & domuit,
fana & everrit & evertit,

lupos & cicures fecit & ab Ovili CHRISTI arcuit,
Vineam Domini & purgavît & sepsit.

Et quia
Magna agere & scribere gloriosum,
Tam addunt Patriæ qui pugnant, ac qui scribunt,
nec in ærarium famæ opimius spolium conferunt
gladii quam styli,
non tantum qui scribenda facit,
sed & qui facta scribit, laudem meretur,
ut in fortunarum ratione
labor cujusq; non in acquirendo solùm,
sed & in conservando consistit,
ita gessisse pulchra non satis,
etiam scribere quæ gesta sunt,
ad laudem pertinent;
Sacro-Politicus ille Præsul,
manum ejus post virilia acta,
post heroica opera,
ad calamum deputavit.
Nec minimum illa jota aut apicem prætermisit à lege,
à rectitudine non recessit,
à Canone non deflexit.
Polivit Cancellariæ Stylum,
emendavit formam,
reliquit scribendi modum

Acta

Acta immortalitate donavit.
Angelica manus quæ Decretũ ſuper Balthazare ſcripſit
cenſuram meruit;
O manus quam benè ſcripſiſſes,
ſi quomodo exprimis ſententiam exprimeres
claritatem, *
at manus JOANNIS meretur laudem
quidquid ſcripſit, expreſſit clarè,
æquè fidem habet, ac lucem.
Recluſiſſet Illi pro eo Templum Honoris
Cathedræ Poſnanienſis Petrus Claviger, *
niſi Matris Vniverſitatis amor,
Diœceſeos Cracovienſis vota,
amicorum deſideria,
à Stallo Poſnanienſi retraxiſſent.
Nec immeritò
Parva enim huic Alexandro illa Macedonia fuit,
impar meritis bravium,
& activæ virtuti impar theatrum.
Reducem ergo ex Majori Polonia,
cum plauſu recepit Cracovia,
non ſine jubilo Diœceſis,
non ſine gaudio Vniverſitas.
Primo eum hæc Candidatis Iuris præfecit, *

C *ideſt*

* *Petrus Bleſensis ſuper Dan. 5.* * *Stemma Capitul. Poſn: S. Petrus.* * *Contubernii Iuriſperitorum Senior 1716.*

idest formandis ingeniis dedit amussim,
acuendis cotem,
condiendis petram salis.
Professorem in Regulis Iuris exactum,
in Vtroq; Iure practicum,
in docendo felicem,
in explicando facilem,
in dandis responsis promptum.
Meritò sub illo Chirone,
tantum in Juris scientia profecerunt Poloni Achilles,
ut Tribunalia & Consistoria implerent,
Ius dicerent in Areopagis,
consulerentur in Curiis,
arbitrarentur in Causis,
ad utilitatem Patriæ,
ad emolumenta Ecclesiæ,
ad Civium usus,
ad amicorum commoda,
ad pupillorum subsidia,
Quodsi enim *primus ardor discendi nobilitas*
est Magistri; *
hujus Viri eruditio,
fuit Iuris sciendi avidis ad illicium,
ad æmulationem calcar,
ad gloriam incentivum.

Vni-

* *S. Ambrosius.*

Vniversitati verò stimulus,
ut præmiaret ejus merita,
sudores abstergeret,
eruditos labores coronaret.
Juris ergo Utriusq; Lauream vertici ejus imposuit,
at in annulo Doctorali majoribus laboribus su barrhavit.
Nullum ille refugiit;
Doctor renuntiatus, Professorem non exuit,
Canonico Moralem Theologiam,
sive Canones Theologicè professus,
utramq; hanc Facultatem conciliavit ita,
ut neutra sibi primas præriperet.
Fecit tamen Theologiam subalternantem scientiam,
& Iurisprudentiam subalternam,
quod objecto Theologiæ,
subalternari objectum Iuris necesse sit.
Conscientiæ casus pluribûs annîs docuit,
non facere quidem sed vitare,
& resolvere ubi angunt,
tollere ubi premunt,
mederi, ubi corrumpunt.
Et plusquã viginti ãnos Cleri Synodalis Examinator erat
aditu facilis,
affatu benignus,
in interrogando simplex,
in solvendo resolutus.

Ecclesiæ multum proficuus,
Scivit quòd *non convenit muta Altaribus admovere idola,*
superstitiosa tantùm Antiquitas
penes Deorum delubra redimitos statuebat juvencos,
at Sacerdotale Ministerium
coronatos boves ab Aris removet,
in stabulo tantum Infans DEUS famulantem sibi asinum habuit,
sed non ad Altare,
nulli ad Regale Sacerdotium suffragium dedit indocto,
ad Sacrum Tribunal ignaro, ignavo.
Virtuti tamen eruditæ nunquàm subtraxit calculum,
votîs illam cumulavit,
favoribûs auxit,
ad altiora promovit.
Iustus aliàs fuit;
ad lancem librabat merita,
& quod suum erat unicuiq; tribuebat.
Idem æquilibrium servavit
Consistorii Cracov: Assessor lustrîs aliquot,
& à Summis Pontificibus,
à Serenissimis Poloniarum Regibus
Causarum Iudex Delegatus.
Ius pro veritate dixit,
decreta pro æquitate tulit,
lites

lites pro justitia composuit.
Et quia in administranda justitia
parùm ab equuleo distat longa mora,
suspensa expectatio,
id habet tormentis graviùs,
quòd lentiùs in patientiam desæviat;
diuturnis induciis non sinebat litigantiũ opes exhauriri,
& nullam in judicando moram admisit,
nisi quam deliberatio postulabat.
Meritò triplex Vavelli Corona
facta est Ei *Corona justitiæ* ut Paulo,
Virum non uno Diademate dignũ ambivit,
& multiplex de Ecclesia obsequium,
triplici orbe præmiavit.
Venerunt ad manus & Vniversitatis Sceptra,
ut Doctorum Princeps,
eruditorum Primopilus,
ex integro nosceretur.
Quatuordecies illa tenuit,
dignus ut orbi Literario continuò imperâsset.
RECTOR pro authoritate gravis,
pro affabilitate blandus,
pro clementia lenis,
pro justitia severus.
Cælum imitatus,

quod & tonitru terret, non semper tamen fulminat,
& æmulatus Medicos,
qui non indignantur ægrotis, sed medentur morbis.
Eatenus
placuit omnibus etiam cum argueret,
amabatur, etiam cum increparet,
nemo apellavit injustum,
etiam cum severus eßet.
Talem se quoq; cũ ab Exedris sacris prædicaret exhibuit,
incutiebat peccantibus motum,
sed ad amorem sui provocabat,
vehementius in delinquentes detonuit,
sed svaviter everberavit aures,
& corde efficaciter delenivit.
Inde populi plausus,
acceptationem Civium,
æstimationem doctorum,
Illustrium Virorum præconia,
Principum gratias,
affectum omnium consecutus.
Durârunt hæc omnia, quamdiu fuit in vivis,
cessârunt cum migravit è terris.
Famam si eximas quam immortalem habet,
lachrymas quas perennes exigit,
gemitus & suspiria quæ nõ interitura expectat.
Habebitq; certò certius,
quan-

quando durabunt Literæ,
quando Templa Divorum ſtabunt,
ſtabunt liberalitatis ejus & gloriæ monuméta.
Quidquid enim totâ vitâ collegit,
moriens in pios uſus,
ut nubes gravida dum frangitur imbrem diſperſit,
ut terra dum ſcinditur mineram aperuit,
ut mare cùm retrocedit ejectamenta reliquit.
Adhuc tamen dives Cælos petiit,
ad quos per manus pauperum theſauros præmiſit.
Gaviſi ſunt eo in Cælis viſo,
ut viſô Dominô poſt reſurrectionem Diſcipuli,
plusquam duo ſidera Fratres, *
& plus quam una Phœbo Sorores, *
ſed nos ex amiſſo dolemus,
& usq; in hodiernã diẽ luctuosâ abſolvimus Paraſceven.
Imprecamur nefaſtæ diei Diras,
quæ & Mundi Servatori & tanto Doctori feralis,
omnia nobis gaudia etiam Paſchali tempore eripuit.
Agit & in Te etiam in diſtans dolor,
Perilluſtris & Reverendiſſime Domine
SIMON WOSINSKI,
Sacræ Theologiæ Doctor, Prothonotarie
Apoſtolice, Cathedralis Poſnanienſis

* *Joſephus Lukini. S. Michaëlis in Arce & SS. OO. Crac: Canonicus, &c. Laurentius Venator Bractavienſis, Antonius Woſinſki Porebecenſis Bieſiadecenſis Præpoſitus, Stanislaus Tarnovienſis Canonicus &c, * Barbara Gałeczczyna, Apollonia Wirzbiczowa, Anna Tuaterowa.*

Canonice, Costensis Præposite,
cum dilectus Tibi JOANNES obiit,
cum quo sangvine, eruditione communicâsti & virtute.
Magis tamen adhuc Te ferit,
Perillustris & Reverendissime
JOANNES CANTI WOSINSKI,
Præposite Infulate & Officialis
Tarnoviensis perpetue,
qui ut locô & affectu eras illi vicinior,
ita fortiùs è propinquo à mærore opprimeris.
Non videtur habere sensum,
qui *abrenuntiavit carni & sangvini*
ÆMILIANUS WOSINSKI,
Ordinis Camaldulensis emeritissimus Pater,
at cùm homo sit, Fratris obitum
in Solitudine beata, in Beatitudine sola
gemit ut *columba in foraminibus petræ,*
in caverna maceriæ.
Vnus quæ inflixere nobis fata vulnera
Monocerotis Tui cornu sanas
Illustrissime & Reverendissime Domine
MICHAEL KVNICKI,
Episcope Arsionensis, Suffraganee, Canonice & Officialis Generalis Cracoviensis,
dum

dũ Magnꝰ Imperatorũ Paleologorũ Nepos
Eminentissimo olim Cardinali *SPADA*
per ORSETONES affini ultimũ præstas obsequium.
Serenas Majestate vultus lugubrem pompam,
& Claræ Tumbæ Abbas mortalem Ejus urnam
illustrem facis.
Mederis & Tu pressuris cordium
Flos Prælatorum
Perillustris & Reverendissime Domine
HYACINTHE ŁOPACKI,
Sacræ Theologiæ Doctor,
Archi-Presbyter Infulate & Canonice Crac:
cum Liliorum Florẽ * in illo sepulchro
ad immortalitatem reflorescere facis,
quod cura Tua refloruit.
Vos vero magni Testatoris Præstites,
temperare possetis nostrûm lachrymas
si possetis Vestras.
Sed quia siccîs Vos oculîs spectare nõ licet,
ad luctus provocatis & lamenta.
Defles acerbas Tui sortes in Confratris fato
sors rerum Academicarum potior,
Perillustris & Reverendissime Domine
M. MATHIA ZIĘTKIEWICZ,
Sacræ Theologiæ Doctor, Ecclesiarum Cathedralis Canonice, Collegiatæ Sanctorum
Omnium & Zarnovecensis Præposite,
recrudescit in nobis vulnus.

* *Stemma defuncti Lilia.*

Ploras ſuper Collegii Juridici primo Capite
Juris Utriusq; Oraculum & Tripos Delphicus
Perilluſtris Admodum Reverende Domine
M. ADALBERTE MICINSKI,
Juris Vtriusq; Doctor, Eccleſiæ Collegiatæ
SS. OO. Cuſtos, Parochialium in Koniuſza
Præpoſite, in Luborzyca Curate,
& quot quot Univerſitatis membra ſumus ingemiſcimus.
Plures quam in craticula LAVRENTIVS
doloris æſtus ſuſtines,
Paſtorum gloria, & Idea Cleri,
Illuſtris Admodum Reverende Domine
LAVRENTI WOSINSKI,
SS. OO. Canonice, in Płoki Præpoſite,
& fervent gemitus.
Præficam in morte Avunculi agis
Illuſtris Admodum Reverende Domine
JOANNES WIRZBICZ,
Eccleſiæ Collegiatæ Sanctorum Omnium Canonice,
magnis æqualis, æqualibûs de Eccleſia meritis major,
Muſæ noſtræ omnes plangunt ut Niobe.
Totius Coſiſtorialis Palæſtræ nomine querelas inſtituis
Juris Dictator
ADALBERTE MYSLOWSKI,
Cancellariæ Regens,
& queſtus noſtros moves.
Patitur hanc doloris Crucem & Paraſceven vobiſcum
Eccleſia & Academia æqualiter,
utraq; hac in parte Mater doloroſa:
& cum revocare Defunctum ad vivos,
ſiſtere luctus, frenare dolores nequeunt,
Agunt quantùm poſsunt.
Æternam illi precantur requiem.

REGESTR Panegiry Pogrzebowych

A.

1. Acumen Doloris explicatum
2. Ad mentem Patria Caput

C

1. Clavis Aurea fracta
2. Classica Mortis feralia

D

1. Dissertationes super rubricas.
2. Dolorum Oneraria navis. producta.
3. Dolor Patria Æternus

E.

1. Encomium ad solennes Exequias

J.

1. In Obitum Serenissimi Principis.
2. Iactura Orbis Literarij transmissa.

K

1. Xsiężycz adumbrowany.

L

1. Legatus renunciatus.

M.

1. Memoria Seculorum intimata
2. Monumentum Doloris dedicatum.
3. Monumentum Consecratum
4. Mowa na pogrzebie
5. Munus Dolorum

P.

1. Parasceve Descripta

S

1. Splendor Consecratus

T

1. Tropheum wyrysowane
2. Tropheum Consecratum

V

1 Vivat Æternum impressum
2 Viva Mors seu Morti superstes

